



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput XI. Quod Corpus Christi & sacra Scriptura maxime sint animæ fideli  
necessaria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

ne compellente, sæpius imparatus erit.

Beatus, qui se Domino in holocaustum offert, quoties celebrat aut communicat.

Non sis in celerando nimis prolixus aut festinus, sed serva bonum communem modum, cum quibus vivis.

Non debes aliis generare molestiam & tædium, sed communem servare viam secundum majorum institutionem: & potius aliorum servare utilitati, quam propriæ devotioni vel affectui.

### CAPUT XI.

*Quod Corpus Christi & sacra Scriptura maxime sint animæ fidelis necessaria.*

### VOX DISCIPULI.

**O** dulcissime Domine Jesu, quanta est dulcedo devotæ animæ, tecum epulantis in convivio tuo: ubi non alius cibus manducandus proponi-

ponitur, nisi tu unicus dilectus ejus  
super omnia desideria cordis ejus de-  
siderabilis!

Et mihi quidem dulce foret in præ-  
sentia tua ex intimo affectu lacrymas  
fundere, & cum pia Magdalena pedes  
tuos lacrymis irrigare.

Sed ubi est hæc devotio? ubi lacry-  
marum sanctarum copiosa effusio?

Certe in conspectu tuo & sancto-  
rum Angelorum tuorum totum cor  
meum ardere deberet, & ex gaudio  
flere.

Habeo enim te in Sacramento præ-  
sente, quamvis aliena specie  
occultatum.

2. Nam in propria & Divina claritate  
te conspicere, oculi mei non possent;  
sed neque totus in fulgore majestatis  
tuæ sublevarer.

In hoc ergo imbecillitati meæ  
fulis, quod te sub Sacramento  
scondis.

Habeo

Habeo vere & adoro, quem Angeli adorant in cœlo; sed ego adhuc interim in fide, illi autem in specie & sine velamine.

Me oportet contentum esse in lumine veræ fidei, & in ea ambulare, donec aspiret dies æternæ claritatis, & umbræ figurarum inclinentur.

Cum autem venerit, quod perfectum est, cessabit usus Sacramentorum; quia beati in gloria cœlesti non egent medicamine Sacramentali:

Gaudent enim sine fine in præsentia Dei, facie ad faciem gloriam ejus speculantes; & de claritate in claritatem abyssalis Deitatis transformati, gustant Verbum Dei caro factum, sicut fuit ab initio, & manet in æternum.

3. Memor horum mirabilium, grave mihi fit tædium etiam quodlibet spirituale solatium: quia quamdiu Dominum meum aperte in sua gloria non video, pro nihilo duco om-

ne, quod in mundo conspicio & audio.

Testis es tu mihi Deus, quia nulla res me potest consolari, nulla creatura quietare, nisi tu Deus meus, quem desidero aeternaliter contemplari.

Sed non est hoc possibile, durante me in hac mortalitate.

Ideo oportet, ut me ponam ad magnam patientiam & meipsum in omni desiderio tibi submittam.

Nam & Sancti tui, Domine, qui tecum jam in regno caelorum exultant, in fide & patientia magna, dum viverent, adventum gloriae tuae expectabant. Quod illi crederunt, ego credo: quod illi speraverunt, ego spero: quo illi praevererunt, per gratiam tuam me venturum confido.

Ambulabo interim in fide, exemplis confortatus Sanctorum.

Habeo etiam libros sanctos pro consolatio & vitae speculo; atque super haec

haec or  
pro fir  
4.  
perma  
quibus  
miseria  
In  
tus, c  
scilice  
Deo  
Corpu  
& con  
dibus  
Sin  
posse  
mae e  
nis v  
Ha  
dua,  
sanct  
Ur  
bens  
Chri  
Al  
doct

hæc omnia sanctissimum Corpus tuum  
pro singulari remedio & refugio.

4. Duo namque mihi necessaria  
permaxime sentio in hac vita, sine  
quibus mihi importabilis foret ista  
miserabilis vita.

In carcere corporis hujus deten-  
tus, duobus me egere fateor, cibo  
scilicet & lumine.

Dedisti itaque mihi infirmo sacrum  
Corpus tuum ad refectionem mentis  
& corporis: & posuisti lucernam pe-  
dibus meis, verbum tuum.

Sine his duobus bene vivere non  
possem: nam verbum Dei lux ani-  
mæ est; & Sacramentum tuum pa-  
nis vitæ.

Hæc possunt etiam dici mensæ  
duæ, hinc & inde in gazophylacio  
sanctæ Ecclesiæ positæ.

Una mensa est sacri altaris, ha-  
bens panem sanctum, id est, Corpus  
Christi pretiosum:

Altera est divinæ legis, continens  
doctrinam sanctam, erudiens fidem

X 4 rectam,

rectam, & firmiter usque ad interiora velaminis, ubi sunt Sancta sanctorum, perducens.

Gratias tibi Domine Jesu, lux lucis æternæ, pro doctrinæ sacramenta, quam nobis per servos tuos Prophetas & Apostolos, aliosque Doctores, ministrasti.

5. Gratias tibi Creator ac Redemptor hominum, qui ad declarandam toti mundo charitatem tuam, cenam parasti magnam, in qua non agnum typicum, sed tuum sanctissimum Corpus & Sanguinem proposuisti manducandum: lætificans omnes fideles convivio sacro, & calice inebrians salutari, in quo sunt omnes deliciae paradisi, & epulantur nobiscum Angeli sancti, sed suavitate feliciori.

6. O quam magnum & honorabile est officium Sacerdotum, quibus datum est, Dominum majestatis verbis sacris consecrare, labiis benedicere,

mani-

manibus tenere, ore proprio fume-  
re, & cæteris ministrare!

O quam mundæ debent esse ma-  
nus illæ, quam purum os, quam  
sanctum corpus, quam immacula-  
tum cor erit Sacerdotis, ad quem to-  
ties ingreditur Auctor puritatis!

Ex ore Sacerdotis nihil nisi fan-  
ctum, nihil nisi honestum & utile  
procedere debet verbum, qui tam  
sæpe Christi accipit Sacramentum.

7. Oculi ejus simplices & pudici,  
qui Christi Corpus solent intueri,  
Manus puræ, & in coelum eleva-  
tæ, quæ Creatorem coeli & terræ  
solent contrectare.

Sacerdotibus specialiter in Lege  
dicitur, *Sancti estote, quoniam ego  
sanctus sum Dominus Deus vester.*

8. Adjuvet nos gratia tua omni-  
potens Deus, ut qui officium Sacer-  
dotale suscepimus, digne ac devo-  
te tibi in omni puritate & conscien-  
tia bona famulari valeamus.

Et si non possumus in tanta innocentia vitæ conversari, ut debemus: concede nobis tamen digne flere mela, quæ gessimus; & in spiritu humilitatis, ac bonæ voluntatis proposito tibi ferventius de cætero de fervire.

## CAPUT XII.

*Quod magna diligentia se debeat Communicaturus Christo præparare.*

## VOX DILECTI.

1. **E**go sum puritatis amator, dador sanctitatis.

Ego cor purum quæro, et ibi locus requietionis meæ.

Para mihi cœnaculum grande fratrum, et faciam apud te Pascha cum discipulis meis.

Si vis, ut veniam ad te: et apud te maneam: expurga vetus fermentum, et munda cordis tui habitaculum.

Exclude totum seculum, & omnem vitiorum tumultum: sede tamquam